Quelle: https://manuscripta.at/?ID=1210
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



Et dedit illis regiones gentium: et labores populorum possederunt ut custodiant iustificationes eius et legem eius requirant. Psalmus David.

Confitemini domino quoniam bonus: quoniam in secula misericordia eius. Quis loquetur potentias domini: auditas faciet omnes laudes eius. Beati qui custodiunt iudicium: et faciunt iustitiam in omni tempore. Memento nostri domine in beneplacito populi tui: visita nos in salutari tuo. Ad videndum in bonitate electorum tuorum: ad letandum cum letitia gentis tue ut laudemus cum hereditate tua. Peccavimus cum patribus nostris: iniuste egimus: iniquitatem fecimus. Patres nostri in egypto non intellexerunt mirabilia tua: non fuerunt memores multitudinis misericordie tue. Et irritaverunt ascendentes in mare mare rubrum. Et salvavit eos propter nomen suum: ut notam faceret potentiam suam. Et increpavit mare rubrum et exsiccatum est: et deduxit eos in abyssis sicut in deserto. Et salvavit eos de manu odientium: et redemit eos de manu inimici. Et operuit aqua tribulantes eos: unus ex eis non remansit. Et crediderunt in verbis eius: et laudaverunt laudem eius. Festinaverunt obliti sunt operum eius: non sustinuerunt consilium eius. Et concupierunt concupiscentiam in deserto: et tentaverunt deum in inaqueso. Et dedit eis petitionem eorum: et misit saturitatem animabus eorum. Et irritaverunt moysen in castris aaron sanctum domini. Aperta est terra et deglutivit dathan: et operuit super congregationem abyron. Et exarsit ignis in synagoga eorum: flamma combussit peccatores. Et

Indicia mea domino Ysita